

INDEX CAPITUM LIBRI SEXTI

DE INTERPRETATIONE, MUTATIONE ET CESSATIONE LEGUM HUMANARUM.

- CAP. I. *De ratione recte interpretandi legem humanam.*
CAP. II. *De extensione in legibus humanis per earum interpretationem.*
CAP. III. *De extensione legis ad casum non comprehensum sub aliqua verborum significatione.*
CAP. IV. *Expediuntur nonnulla dubia circa extensionem legis.*
CAP. V. *De restrictione legis per interpretationem.*
CAP. VI. *De cessatione obligationis legis in particulari contra verba legis.*
CAP. VII. *De excusatione legis per epikiam.*
CAP. VIII. *De usu epikiae sine recursu ad Principem.*
CAP. IX. *De cessatione legis causa cessante.*
CAP. X. *De dispensatione in lege humana.*
CAP. XI. *De effectibus dispensationis humanae legis.*
CAP. XII. *De materiali causa dispensationis.*
CAP. XIII. *De forma dispensationis humanae legis.*
CAP. XIV. *De potestate ordinaria dispensandi in legibus humanis.*
CAP. XV. *Dubia circa potestatem inferiorum in legibus humanis.*
CAP. XVI. *De potestate ordinaria dispensandi et commutandi.*
CAP. XVII. *De potestate delegata ad dispensandum in legibus humanis.*
CAP. XVIII. *De iustitia causae ad justam dispensationem.*
CAP. XIX. *De validitate dispensationis legis humanae sine justa causa.*
CAP. XX. *De cessatione dispensationis cessante causa.*
CAP. XXI. *De nullitate seu invaliditate dispensationis.*
CAP. XXII. *Quando obtenta dispensatio sit subreptitia.*
CAP. XXIII. *Quae taciturnitas invalidat dispensationem.*
CAP. XXIV. *De dispensatione ab uno vinculo tacitis aliis.*
CAP. XXV. *De abrogatione legis.*
CAP. XXVI. *Quis possit legem abrogare.*
CAP. XXVII. *Quibus modis fit abrogatio et de effectibus ejus.*



LIBER SEXTUS.

DE

INTERPRETATIONE, CESSATIONE

ET MUTATIONE HUMANARUM LEGUM.

Diximus in tribus libris proxime praecedentibus de omnibus quae spectant ad rationem et efficaciam legis, tam civilis quam canonicae, et ad quasdam earum generales species quae omnes mutationem admittunt; et ideo priusquam de jure humano non scripto vel de privato dicamus, de mutatione legis humanae scriptae dicendum est, simulque canonicam et civilem comprehendemus, quoniam utraque mutationem admittit, et doctrina quoad hanc partem communis est ac fere uniformis. Distinguendae autem sunt variae mutationes quae in humana lege fieri possunt; potest enim mutari interdum quasi ab intrinseco et de se, aliquando vero ab extrinseco agente; et utraque mutatio accidere potest vel in parte solum vel in tota lege. Dico autem legem mutari ex se et ab intrinseco, quando ex defectu materiae, vel finis, aut rationis ejus obligatio cessat. Et quando hoc contingit tantum in parte, seu in particulari occasione, dicitur legis interpretatio, seu aequitas, aut epikia; quando vero integra mutatio accidit, cessatio dici potest, et ita a nobis appellatur. Ab extrinseco autem mutatur lex quando per contrariam actionem aufertur ejus obligatio, et si quidem id fiat ex parte, vocatur dispensatio, sub qua commutationem comprehendo; si autem fiat in tota lege, vocatur abrogatio, seu irritatio, aut ablatio legis. Ex quibus quatuor membris consurgunt sigillatim pertractanda, interpretatio, cessatio, dispensatio et abrogatio legis, quibus addi solet mutatio legis per additionem, ut constat ex D. Thoma, quaest. 97, art. 1. Verum tamen si additio legis fiat sine diminutione vel abrogatione praesistentium legum, magis per-

tinet ad introductionem novae legis quam ad mutationem de qua tractamus, et ideo nihil de mutatione illa nobis dicendum superest. Si autem lex nova antiquioribus deroget, jam non est pura additio, sed mutatio quae sub abrogatione comprehenditur, et ita quatuor membra sufficiunt. Et quod ad primum spectat, licet sola interpretatio, per quam lex declaratur in speciali casu non obligare per epikiam, ad legis mutationem pertinere videatur, nihilominus, ut illa melius intelligatur et propter materiae complementum, operae pretium erit aliquid de interpretatione humanarum legum generaliter praemittere.

CAPUT I.

DE RATIONE RECTE INTERPRETANDI LEGEM HUMANAM QUOAD LEGITIMUM SENSUM EJUS.

1. Triplicem legis interpretationem distinguere possumus ex Glossa in l. *Si de interpretatione*, ff. de Legibus, et Panorm. et Deci. in cap. 1 de Postul. Prael.; Sylvest., verbo *Interpretatio*, scilicet, authenticam, usuaem et doctrinalem. Authenticam voco quae fit auctoritate illius qui potest legem condere, usuaem quae consuetudine et ipso usu fit, et doctrinalem quae fit per doctrinam, et auctoritate interpretum; hic de hac tertia praecipue loquimur, et ideo breviter alias duas expediemus. Dicta vero Glossa aliud membrum addit illius interpretationis, quae fit per sententiam iudicis. Sed haec sub consuetudine includitur, ut patebit inferius loco suo.

2. *Dari posse interpretationem quae legis*

auctoritatem habeat.—Primo ergo certum est dari posse interpretationem aliquam legis quæ auctoritatem legis habeat, hanc vero fieri non posse nisi vel ab ipsomet legislatore, vel successore, vel superiore jurisdictionem habente. Tota assertio facile probatur, quia interpretatio hæc sæpe est necessaria ad bonum commune, et non excedit potestatem legislatoris; potest ergo cum auctoritate legis ab eo fieri, non vero ab inferiori qui legem ferendi non habet potestatem, vel non talem ut cadat in actum superioris. Et hoc est quod dicitur in l. ult., c. de Leg., omnem legis interpretationem ab imperatore datam *ratam et indubitam habendam esse*. Et reddit rationem, *quia si leges condere soli imperatori concessum est, etiam leges interpretari solo dignum imperio esse oportet*. Quod necesse est intelligi de hac interpretatione quam authenticam vocamus, de qua etiam dicitur in cap. *Inter alia*, de Sentent. excom.: *Ut unde jus prodiit interpretatio quoque procedat*. Estque optimum et novum exemplum in motibus propriis Sixti V de illegitimis; nam per priorem de illis disposuit, per posteriorem vero priorem interpretatus est, et uterque eadem legis auctoritatem habet. Est autem advertendum non tantum eandem personam posse hoc modo legem suam interpretari, sed etiam eandem sedem, ut ita dicam, seu successorem in eadem potestate, ut clare probatur in dicto cap. *Inter alia*. Et ratio est, quia lex non procedit a persona nisi ut habente potestatem, et lex semper pendet ab eadem potestate, in quacumque persona sit; ergo qui in eadem potestate succedit semper potest prædecessorum leges interpretari. Verum quidem est eundem hominem posse certius explicare suam mentem et sensum quem revera habuit quando legem condidit, quia solus ipse voluntatem suam certo cognoscit; successor vero solum potest illam conjectare. Nihilominus tamen potest successor interpretari sensum in quo lex recipienda est et observanda, et hoc modo dicitur hæc authentica interpretatio. Unde etiam manifestum est posse superiorem hoc modo legem inferioris interpretari, quia non est necesse ut attingere certo possit personalem (ut sic dicam) sensum et mentem ejus, quia hoc neque in successore est necessarium; sed satis est ut possit definire ac statuere quomodo talis lex accipienda sit et custodienda, quod melius potest facere per jurisdictionem superiorem quam per æqualem, ut constat. Superiorem enim voco non tantum in dignitate vel extrinseca perfectione, sed in subordi-

natione et prælatione; quo modo jurisdictionis regis est superior jurisdictione præfecti aut proregis, et jurisdictionis Papæ jurisdictione Episcopi; non vero ita comparatur Archiepiscopus ad Episcopum, unde non potest sic interpretari legem ejus.

3. *Hanc interpretationem non solum esse nudam declarationem, sed aliquando mutationem.*—*Quæ requiruntur ut interpretatio dicatur authentica.*—Unde etiam intelligitur frequenter contingere ut hæc interpretatio non sit nuda declaratio sensus prioris legis, sed mutatio etiam aliqua, vel addendo vel minuendo, quia totum hoc cadit sub potestatem ejus cujus auctoritate fit talis interpretatio, et potest esse ad commune bonum necessarium. Unde licet contingat interpretationem non videri omnino adæquatam proprietati verborum legis, non est dubitandum de auctoritate et efficacia interpretationis, quia cum auctor ejus possit aliquam mutationem facere, sæpe cum interpretatione illam miscet sub eodem interpretationis nomine illam comprehendendo, fortasse per modestiam et comitatem, ut videre licet in cap. 1 de Juram. calum., et cap. unic. de Cleric. conjug., in 6, cum similibus. Denique observare oportet hæc omnia intelligenda esse de lege quæ directe fit ad interpretandum priorem. Sæpe enim unam legem per aliam interpretamur, licet neutra ad hunc finem condita sit, sed ex certo sensu unius veriorem alterius sensum colligimus, aut conjectamus, vel propter consonantiam, vel propter verborum usum, vel propter similitudinem rationis, aut aliquid simile: tunc autem interpretatio non est authentica, sed sub doctrinali comprehenditur, quia non habet legis auctoritatem, ut per se constat. Ut ergo authentica sit interpretatio, oportet ut habeat omnes legis humanæ conditiones, atque adeo ut sit justa, procedens a legitima potestate, sufficienter promulgata, etc. Unde consequenter fit ut hæc ipsamet lex humana interpretativa alterius exposita sit dubiis et obscuritatibus, ac subinde ut etiam propter illam aliæ interpretationes necessariae sint. Ideoque observant doctores quod constitutio declarans aliam, in his quæ non exprimit recipit omnes interpretationes quas constitutio declarata, ut sumitur ex Glossa in Clemen. *Statum*, verbo *Consuetudo*, de Electione, et in cap. *Is qui*, verb. *Vel electi*, de Elect., in 6, et habetur expresse in Authentica de Filiis ante dotalia instrumenta natis, in fin., collat. 3, ubi id notant Glss. et Bart., et alii quos referunt Matienz. lib. 5 Recopil., t. 4, l. 2, Glos.

6, num. 10; Burg. de Paz., lib. 1 Tauri, num. 288.

4. *Interpretationem ex usu sumptam interdum posse esse authenticam.*—Secundo, dicendum est multum valere interpretationem ex usu desumptam ad legis obligationem præscribendam, et interdum talem esse posse ut authentica sit et pro lege habenda. Hæc assertio communis doctorum est, ut sumitur ex cap. *Cum dilectus*, de Consuetudine, quatenus in eo dicitur consuetudinem esse optimam legum interpretem, quod etiam habetur in l. *Si de interpretatione*, ff. de Legibus. Pertinet autem ad materiam de consuetudine, et ideo illam prosequemur in cap. 7 libri sequentis ad finem.

5. *Aliquando necessaria est doctrinalis interpretatio in legibus humanis.*—Tertio, dicendum est leges humanas etiam admittere doctrinalem interpretationem, quæ, licet per se non inducat obligationem quia non habet potestatem introducendi legem, habet tamen suum auctoritatis gradum, qui potest interdum esse tam certus ut inducat necessitatem. Hoc totum adeo notum est ut probatione non indigeat; nam hæc est humana conditio ut vix possit homo tam perspicuis verbis sensum suum explicare, quin ambiguitates et dubia nascantur, præsertim quia lex humana loquitur breviter et in generali, et in applicatione ejus ad varios casus in particulari oriuntur frequenter dubia, propter quæ judicium prudentum et declaratio doctrinalis necessaria est. Denique ex hac necessitate orta est juris civilis peritia, cujus præcipuus finis est verum sensum veramque interpretationem legum humanarum tradere. Quod munus commendatur in l. unic., cap. de Professoribus qui Constantin. lib. 12, quatenus honorari jubet eos qui illo munere probe utuntur.

6. *Convenientia interpretum magnam habet auctoritatem.*—De hac igitur interpretatione certum est non habere vim legis, quia non procedit a potestate jurisdictionis, sed a scientia et judicio prudentum, et ideo dicimus per se non inducere obligationem. Quia vero in omni arte judicium peritorum in illa magnam inducit probabilitatem, ideo etiam in hac legum humanarum interpretatione hæc doctrinalis interpretatio magnum habet auctoritatis pondus. In quo varii gradus esse possunt; nam si in alicujus legis intelligentia omnes interpretes conveniant, faciunt humanam certitudinem, et regulariter loquendo etiam inducent obligationem servandi legem, et utendi illa in

praxi juxta talem interpretationem; tum quia tanta consensio doctorum indicat communem acceptionem et observantiam legis in illo sensu; tum etiam quia vix potest accidere ut contra communem omnium doctorum interpretationem tam efficax ratio occurrat, ut in conscientia reddat securam contrariam intelligentiam. At vero ubi variæ sunt doctorum in terpretationes, juxta pondus rationum et doctorum auctoritatem judicandum est; occurrebat hic disputatio de electione opinionum, illa vero ad materiam de conscientia spectat.

7. *Tria notanda ut verius sensus legis colligatur.*—Sed circa hanc interpretationem interrogari potest quibus principiis seu regulis utendum sit ad verum sensum et obligationem legis colligendam. In quo puncto latissime scribunt juris interpretes, quia proprie ad illos spectat; quia vero etiam theologis aliqua directio in legum ac canonum intelligentia necessaria est, eam breviter comprehendemus. Tria igitur capita observanda sunt, quæ supra tractando de forma legis distinximus, scilicet, verba legis quatenus significativa sunt, mens legislatoris, et ratio, et de singulis aliquid est dicendum, quoniam ex his omnibus pendet vera interpretatio legis. Circa verba dicendum est in omni lege humana primum omnium spectandam esse verborum proprietatem, id est, propriam significationem: nam ex illa maxime sumenda est vera interpretatio legis, semperque est præferenda nisi aliquid obstet. Sic enim de testatore dicitur in l. *Non aliter*, ff. de Legat., *non aliter a significatione verborum ejus recedi, quam cum manifestum est aliud ipsum sensisse*; ergo multo magis de verbis legislatoris idem asserendum est. Unde in l. 1, § *Si is qui navem*, ff. de Exercitoria actione, dicitur *in dubiis non esse recedendum a verbis edicti*; et in l. *Prospexit*, ff. *Qui et a quibus*, verbis inhærendum esse etiamsi res gravis esse videatur. *Quod quidem (ait) perquam durum est, sed ita lex scripta est*. Hinc etiam in cap. 2, § *Sed neque*, de Translat. Episcop., concessa cessione episcopatus non censetur concessa translatio. Et ratio redditur, *nam si circa translationem idem fieri voluisset quod de cessione dixerat, et de translatione poterat expressisse*; significans non esse recedendum a proprietate verborum, quoad fieri possit; similia habentur in cap. *Ad audientiam*, de Decim.

8. Ratio vero clara est, quia verba in communi sermone usurpantur in propria signifi-

catione; nam idcirco illam recipiunt; ergo multo magis hoc intelligendum est servari in legibus, quia debent esse claræ et non expositæ circumventionibus et falsis interpretationibus, ut supra diximus. Unde confirmatur ab incommodo, quia alias nihil esset certum in legibus, neque per illas possent regulari actiones hominum, quia unusquisque posset suo arbitrio ad improprios sensus illas derivare. Confirmatur secundo, quia propter hanc regulam docent Patres verba Scripturæ in proprio sensu esse accipienda, nisi ex circumstantiis vel aliis locis aliud constet, quod maxime observandum est ubi dogmata fidei aut morum traduntur; idem ergo est cum proportione in lege, quæ est regula morum. Denique etiam dialectici dicunt analogum simpliciter sumptum accipi pro principali significato; verba autem, si præter sensum proprium habere possunt improprium, sunt quasi analogæ, et in eis sensus proprius est quasi principale analogatum; ergo absolute posita in lege accipienda sunt in proprio ac principali statu. Atque hanc regulam tradunt jurisperiti communiter, ut late refert Tiraquel. in l. *Si unquam*, § *Libertis*, num. 45 et sequentibus, et attingit breviter Constant. Rog., tract. de Jur. interpr., quæst. 2, num. 20. Quando autem vel quomodo hæc regula deficiat, ex dicendis patebit.

9. *Duplex verborum proprietas.* — *Significatio usualis ad naturalem vel civilem reducenda est.* — Observandum est autem in hoc puncto in verbis juris seu legum duplicem proprietatem solere distingui: unam naturalem vocant, aliam civilem. Prior non sic appellatur quia significatio aliqua verborum legis fit a natura, constat enim omnia verba humanarum legum ad placitum et ex impositione significare, sed quia quædam significatio est ex simplici et primæva verborum impositione, et in ea solent significari res prout vere ac naturaliter sunt, sicut dictio *mors* significat naturalem mortem. Significatio autem civilis dicitur quæ est per extensionem, parificationem, vel fictionem juris, ut dictio *mors* significare solet civilem, qualis fit per religiosam professionem, et filius adoptatus dicitur filius, et sic de aliis. Quibus addi posset tertia significatio, quæ vocari potest usualis, quia est ab usu et consuetudine loquendi, quæ magnam vim habere solet in significatione vocum interpretanda, adeo ut in legum expositione proprietati etiam verborum usus præferendus sit, ut jurisperiti cum Bart. docent in l. *Non dubium*,

c. de Legibus, in l. *Labeo*, ff. de Suppellectile legata, et in l. 1, ff. de Suis et legitimis hæredibus; Panormit. in Procem. Decret., ubi latissime Felin. plurima congerit. Ne vero tot membra multiplicemus, hanc significationem ad duas præcedentes revocamus: nam si usus verbi sit communis totius populi in vulgari modo loquendi, jam illa significatio est facta magis propria magisque naturalis quam primæva, quia usus habet vim derogandi institutionem et mutandi impositionem humanam. Si autem usus sit solius juris, talis significatio sub civili continetur.

10. *Quomodo regula tradita sit intelligenda.* — Regula ergo proposita de priori proprietate est intelligenda per se loquendo, et nisi circumstantiæ occurrentes vel alia jura cogant extensionem vel limitationem facere, ut in sequentibus prosequemur. Atque ita sumitur ex l. ult. cod. de His qui veniam ætatis, etc., ubi perfecta vel legitima ætas simpliciter dicta accipi dicitur pro naturali, non pro illa *quæ imperiali beneficio suppletur*. Idem sumitur ex cap. *Susceptum*, de Rescript., in 6, ubi id notat Glossa, verb. *Non morte*, citans alia jura, et latius Tiraq., dicta l. *Si unquam*, verb. *Susceperit*, n. 17. Sed observandum circa hoc est regulam hanc potissimum habere locum in vocibus usualibus, ut sic dicam, quas leges seu jura accipiunt ex communi lege hominum; sunt vero aliæ voces quæ sunt propriæ ipsius juris et ab ipso inventæ, sicut unaquæque ars propria habet vocabula quibus utitur, ut in jure canonico tales sunt vox *censura*, *excommunicatio*, et similes; et in jure civili *usuceptio*, *præscriptio*, et similes; in his ergo vocibus significatio civilis seu secundum jus est significatio naturalis illarum; nam est ex primæva impositione, et res per talem vocem significata non habet aliam naturam nisi quam habet ex institutione juris, et ideo secundum eam significationem sunt tales voces in legibus accipiendæ, et proprietas illarum ex jure sumenda est.

11. *Quando vox habeat plures significationes quid faciendum.* — Sed quid si vox habeat plures significationes proprias in naturali proprietate? Respondeo tunc utendum esse regula quæ in omnibus sermonibus ambiguis seu æquivocis prudenter observari solet, videlicet, ut legis materia aliæque circumstantiæ attente ponderentur; nam ex illis determinabitur facile verborum significatio. Maxime vero legis initium considerare et cum illo sequentia jungere necesse est, quia ad illud debent trahi

sequentia, nisi aliquid obstet. Nam in procemio constitutionis solet causa finalis et principaliter movens contineri, et ideo illud maxime spectandum est ad legis intelligentiam, ut communiter tradunt jurisperiti quos late refert Tiraq. in tract. *Cessante causa*, limitat. 1, n. 64 et 65; et Molina l. 1 de Primogen., c. 5, a n. 3; et Gutier. in Practicis, l. 3, quæst. 17, n. 90. Unde etiam in contractibus initium et causa spectantur, l. *Si procuratorem*, in princ., ff. Mandati; ergo multo magis in legibus observandum est initium ut ad illud cætera accommodentur. Quin potius additur in l. 24, ff. de Legibus, *incivile esse, nisi tota lege perspecta, una aliqua ejus particula proposita, judicare*. Itaque ex antecedentibus et consequentibus cum materia et aliis circumstantiis determinanda est æquivoca verbi significatio. Quod si verba legis adeo essent æquivoca ut neque ex antecedentibus, neque ex subsequentibus, nec ex materia aut ratione legis constare posset definitus sensus ejus, illa non esset lex, quia non solum non esset clara, verum etiam neque mentem legislatoris satis significaret. Vix autem fieri potest quin altera significatio sit rei de qua tractatur magis accommodata, et illa ferenda est juxta regulam legis 68, ff. de Regulis juris: *Quoties idem sermo duas sententias exprimit, ea potissimum accipietur quæ rei gerendæ aptior est*. Idem a simili sumitur ex l. *Si servus plurium*, § ult., ff. de Legat. 1.

12. *Quid circa intentionem considerandum legislatoris.* — Circa intentionem seu mentem legislatoris considerandum est ab illa potissimum pendere tam substantiam quam efficaciam legis, quia, ut probatum est in l. 3, mens legislatoris est anima legis, unde sicut in vivente substantia et operatio vitæ ab anima maxime pendet, ita in lege a mente legislatoris. Illa est ergo vera interpretatio legis per quam mentem et voluntatem legislatoris assequimur, et ideo quacumque ratione de mente legislatoris constare possit, secundum illam maxime erit lex interpretanda. Quod potest confirmari ex principio generali, quod ex Greg. traditur in cap. *Humanae aures*, 22, q. 5: *Non debet aliquis verba considerare, utique nuda, sed intentionem et voluntatem, quia non debet intentio verbis deservire, sed verba intentioni*. Quæ verba non inveniuntur in Gregor., sed sunt Cœlestini, ut infra videbimus. Denique confirmatur ex usu jurium, considerantium utique mentes legislatorum, cap. *Si postquam*, de Electione, in 6, ibi: *Ex sui mente exi-*

git, etc., et in c. *Secundo requiris*, de Appel., ex intentione legislatoris verba extenduntur, quia *verba intentioni deserviunt*, ut ibi allegatur. Sic etiam in l. *Cum mulier*, ff. Solut. matr., ex mente legis negatur marito propter lenocinium accusatio uxoris de adulterio. Idem probatur optime ex l. *Scire etiam*, § *Aliud*, ff. de Excusat. tutorum, ibi: *Sed etsi maxime verba legis hunc habebant intellectum, tamen mens legislatoris aliud vult*. Simile etiam de Testamentis dicitur in l. *Non aliter*, in princ., ff. de Leg. 3.

13. Quæret vero aliquis qui possit fieri ut mens præter verba aliquid conferat ad legem interpretandam, quia homines non possunt mentem alterius hominis percipere, nisi ex verbis ejus; nam, ut Gregorius dicit, 26 Moral. et infertur in dict. cap. *Humanae aures*, initio: *Apud homines cor verbis, apud Deum vero verba pensantur ex corde*; hic autem agimus de humano judicio et intelligentia, quomodo ergo potest sensus legis, quæ in verbis consistit, ex mente sumi, cum ipsa mens per verba tantum nobis possit innotescere? Et confirmatur: nam si legislator per verba legis suam mentem non declaret, non constitueretur lex, nec oriretur obligatio, etiamsi ex aliis conjecturis possemus aliquo modo voluntatem legislatoris cognoscere, quia (ut supra dictum est) lex non constituitur voluntate principis, nisi per verba legis sufficienter extet expressa, quia voluntas sola non sufficit per se ad obligandum, nec etiam est satis quod aliunde privatim innotescat, sed necesse est ut in ipsa lege sufficienter contineatur: ergo non possumus e contrario per voluntatem cognoscere verborum sensum.

14. *Quomodo mens legislatoris potest esse regula interpretandi.* — Ad interrogationem respondetur, cum dicimus mentem legislatoris deservire ad interpretandam legem, non esse sensum, ipsam voluntatem legislatoris mere internam vel secundum se spectatam esse posse regulam interpretandi legem; contra hunc enim sensum recte procedunt objectiones factæ; sed sensus est verba nude sumpta sæpe esse ambigua et ex variis intentionibus ac voluntatibus posse procedere, et ideo ex adjunctis, id est, ex materia aut circumstantiis prudenter pensandum esse ex qua voluntate et intentione processerint, et tunc ad intentionem legislatoris accommodandam esse verborum significationem et interpretationem. Ita sumitur ex sententia Hilarii, l. 4 de Trinitat., dicente: *Intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi, quia non sermoni res, sed rei*